



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Liber Officialis Seu Agendorum Pastoralium S. Trevirensis Ecclesiae

Johann Hugo <Trier, Erzbischof>

Mogvntiae, 1688

De Baptismo adultorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-75322](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-75322)

De Baptismo Adultorum.

Postea Parochus tenens unà cum patrinis candelam super infantem dicat.

Accipe lampadem ardentem, & irreprehensibilis custodi Baptismum tuum, serva Dei mandata, ut cum Dominus venerit ad nuptias, possis occurrere ei unà cum omnibus sanctis in aula cœlesti, habeasque vitam æternam, & vivas in sæcula sæculorum. *R.* Amen.

Postremò dicit.

N. Vade in pace, & Dominus sit tecum.

R. Amen.

DE BAPTISMO ADULTORUM.

SI quis adultus sit baptizandus, debet priùs secundùm Apostolicam regulam in Christiana fide, ac sanctis moribus diligenter institui, & per aliquot dies in operibus pietatis exerceri, ejusque voluntas, & propositum sæpius explorari.

Consultum etiam erit, si Ordinario, aut ejus vices gerenti Adultorum Baptismus deferatur, ejusque consilium, & instructio recipiatur. Admonendus est ejusmodi Catechumenus, ut peccatorum suorum poeniteat.

Diligenter curet Parochus, ut certior fiat de statu, & conditione adultorum, qui baptizari petunt, præsertim exterorum, ne quis jam baptizatus imperitiâ, vel errore, ob quæstum, vel aliam causam iterum baptizari velit.

Ritus fermè est similis illi, qui adhibetur in Baptismo parvulorum, nisi quod Catechumenus de nomine interrogatus, sicut & de abrenuntiatione Sathanæ, Symbolo fidei, respondeat ipsemet, Symbolum Apostolicum, & Orationem Dominicam in locis, seu tempore supra præscriptis ipsemet recitet. Quodque in benedictionibus, & formatione signi crucis corpus

Catechumeni non tangatur.

ORDO